

spexit, eumque *Jaschar* integrum & justum appellavit, probe gnarus, quod de mortuis nil nisi bene. Meruerat hoc animi magnitudo, quæ in bello pro Israelitarum salute, vitam mortis periculo exposuerat.

§. IV.

Sed quid de Josuæ loco nunc erit dicendum, fortasse ibidem *sepher haijaschar* pro carmine lugubri non poterit haberi? Nos neutiquam de eo dubitamus, nec forte dubitabunt alii, si rationes recte perpenderit sequentes: Multi sunt eruditi, qui librum Josuæ, non ab ipso Josua, sed ab alio vel Propheta, vel sacerdote, & quidem post ipsius mortem fuisse scriptum, existimant, cujus sententiæ rationes proferunt haud contemnendas, quas conspiciere licet in Disputat. de Scriptore Libri Josuæ prolixè. Quid si diceremus, in obitum Josuæ, ex more Israelitis recepto, quem paulo inferius sufficientibus suffulciemus testimoniis, vel prophetam quendam, vel summum Sacerdotem carmen composuisse lugubre, inque Josuæ fortissimi, herois laudes excurrissè. Josuam ex more patrio sepultum esse, legimus Jos. XXIV, 32. Nonne vero in ejusmodi carmine admirandum stantis Solis & Lunæ miraculum fuisset memorandum, res sane memorabilis & cœlestis, æternaque memoria dignissima? Cum autem Scriptor Sacer atque *θεοπνευστος*, quicumque sit, vel Propheta vel Sacerdos, res a Josua præclare gestas enarrare, & in memoriam atque solatium totius Ecclesiæ describere constituisset, miraculum istud præcipuum sibi jure meritoque vendicavit locum. Et ne posteri, qui Solis stantis spectatores esse nequiverunt, illud vel oblivioni traderent, vel in dubium incertumque vocarent, provocavit merito ad documentum, eo tempore maxime vulgatum & Israelitarum manibus tritum, quale erat *liber istius Recti Josuæ*, vel lessus in ejus obitum compositus, ex quo, tanquam documento cœvo & noto, in posterorum gratiam ipsa adduxit verba, quibus notatu dignum stantis solis miraculum erat depictum. Si vero alii dixerint, ipsum Josuam historiae

B

suae